



CONIECTA
NEORVM
PARTEM



PRAESIDE

M. IOH. GEORGIO SAMUELE BERNHOLD



GYMNASII RECTORE

IN PVBLICO ERVDITORVM
CONGRESSV


DEFENDET

EX GYMNASIO HEIL-
BRONNENSI

AD ACADEMIAM DISCESSVRVS

D. XX. MART. M DCC XXXXVIII.

FRANCISCVS CHRISTOPHORVS SCHATTENMANN
LANDAVIENSIS.



Heilbronnac : Ex Officina Majeriana.



OPTIME DE SE MERENTI
PATRI
IOH. HENRICO
SCHATTENMANN
LANDAVIENSIVM
CONSVLI

CVIVS ERGA FILIVM AMORI
ATQVE PROVIDAE CVRAE
PRO EO AC PAR EST CELEBRANDAE
TANTO ME MINVS PAREM

INTELLIGO
QUANTVM ILLA ET VVLGAREM
MOREM

ET INGENII MEI CAPTVM
IMO VERO SPEM OMNEM ATQVE
EXPECTATIONEM
EXCEDVNT

VT INTERIM ALIQVOD EXTARET PIETATIS
ET GRATI ANIMI MONVMENTVM
HOC QVICQVID EST SCHOLASTICAE
OPELLAE

S. E. V.

FILIVS PIENTISSIMVS
FRANCISCVS CHRISTOPHORVS SCHATTENMANN.

LIB. I. CAP. III.
Specimen audaciae criticae minus ferendae, ex GERH.
 VOSSII G. F. *obseruat. critt. ad VELLEIVM PATER-*
 CVLVM.

Subtrahuntur cultello VOSSII critico complures, qui iugulari
 minime merebantur, loci.

§. I.



Redo ego, fore, qui huic meo labori nomen
 inertiae uel uanissimi operaeque pretium non
 merentis conatus imponant: certe, quibus
 maxima industria uidetur, despectis infimo-
 rum, ut putant, subselliorum disputationi-
 bus, ciuitatum arcana, regnorum incremen-
 ta & ruinas, & quae his similia & sola ma-
 gnis ingeniis uidebantur digna, ubique so-
 nuiffe. Huius generis quam late grassentur in ipsa doctorum so-
 cietate iudicia, summo suo taedio & incommodo dudum didice-
 runt, qui ad *criticam artem* magis adhuc expoliendam suam attu-
 lerunt operam. Hic uero quo minus repetenda existimem illa,
 quae in *criticorum* misellam manum olim euomuere *duros* non
 pauci, conuicia, multae interueniunt scripturum retracturae cau-
 sae. Illud omnes, qui criticorum miserias norunt, facile assen-
 tiant, uix ulli scripto tam esse necessariam ueniae praefationem,
 quam illis, quae in emendandis praestantissimis libris operose
 uersantur. De cuius artis uirtute, quia multi dixere, praeter-
 eundum

eundem puto, simul ne per insolentiam quis existimet, memet
studium meum laudando extollere.

§. II.

Nunc de meo dicendum erat instituto. De quo, quomodo
exponam, fere nescio, cum in alterutram partem uideri possim
peccare, siue omiffa siue facta consilii mei mentione. Paucis ta-
men, quid propositum sit, expediam. Mihi igitur quanta lau-
de digna habetur criticorum opera, tanta indignatione repellenda
uideretur nimia quorundam, qui criticam profitentur, auda-
ciam dicam? an temeritatem? non ferenda certe in emaculandis
ueterum scriptis sollicitudo. Mireris sane, quam suo ingenio qui-
dam ex illis fidant, sibi que placeant, ut identidem inculcato suo
illo: *Sic lego, Non aliter scripsit auctor, Mihi sic uidetur, Sic le-
ge,* & si quid aliud huius simile quasi pro dictatoris auctoritate
dicere illis solenne est, scilicet lectorum sibi conciliare satagant assen-
sum. Quod cum indignum iis, qui eruditionis famam in ea ci-
uitate, ubi rationibus, non auctoritatibus, res agi debebat, ca-
prant, mihi semper sit uisum, non temperaui mihi diutius ab
exequendo proposito. Inter eos igitur, qui diligentiam non
uulgarem adhibuerunt purgandis ueteribus exemplaribus, haud
infimo loco ponendus uideretur GERH. VOSSIVS, G.F. cuius
in edendo VELL. PATERC. laudabilis eluxit & merito quo-
dam suo celebratur cura. Certe neque ingenium defuit erudito
uiro, neque MSCPT. quorum ueneranda est canities, copia.
Verum enim abusus ille est, quod pace tanti uiri memoriae di-
ctum uolo, suo ingenio. Mutare enim pro lubitu, quae sana
erant, amputare ramulos non effetos, extrudere, quae ferri po-
terant, & scriptoris dictionem ad censoris mentem effingere, id
uero mihi quidem non tantum minime laudandum sed uitupe-
randum etiam uideretur. Cum enim non id quaeratur in ueterum
monumentis, quomodo ex nostra animi sententia componendus
fuisset sermo, sed quid ex superstite lectione maxime ferri & sine
quam

quam minime retineri possit mutatione: non praeclare admodum de ueterum existimatione merentur, qui sua, quam illa antiqua, quamuis sana, malunt, & abiiciendum censent, quodcunque suis non responderit cogitatis. Atqui istuc uitii non uitauit ille, quem notamus, criticus. Fas igitur mihi sit, si quid pro mea ingenii tenuitate possim afferre ad saluandam nobilissimi & elegantissimi historici scripturam, communicare cum eruditis. Non equidem is mihi sum, qui caput inter criticos efferre aut acutius, quam plerique, cernere possit. Sed spes tamen erat, fore, quibus non improbetur conatus non suam obtrudentis sed antiquam a nimia audaculorum licentia defendentis orationem. Faciamus igitur periculum, & quid possint uires in hac palaestra nondum satis exercitatae, experiamur. Ceterum non puto, uitio mihi datum iri, si quando faciliori & mitiori medicina, quam ab aliis adhibita fuit, ubi quidem alia sanandi non superfuerit ratio, usus fuero. Id quod tum demum a me fiet, cum, morbo laborare orationem, exploratum erit. Medicos imitabor, curationem non adhibentes nisi male habenti corpori. Sana & nulla contagione infecta, quantum potero, tuebor & fouebo. Id quod aequi bonique consulant, qui litteras & propius norunt, & amant, rogo & obtestor. Qui enim Panis fistulam Apollinis lyrae anteferunt, haec sibi scripta nolim existiment. Ceterum MSCTT. me fuisse destitutum, non dissimulandum putauit. Nec ea magnopere desiderauit. Propositum enim mihi est, eorum corrigere institutum, qui a MSCTT. fide, quam illi multum iactant, nimis licenter diuertunt. Illud etiam monitos uolo lectores, animum mihi non esse, omnia, quae meditatatus essem, nunc quidem proferre. Alea nunc primum iaciatur. Cui conari si fauerit eruditorum iudicium, reliqua alio tempore promentur.

Igitur

L. I. c. VII. haec sunt PATERC. - uerba:

- „ Huius temporis aequalis Hesiodus fuit - qui *uitauit*, ne
 „ in id, quod Homerus, incideret, patriamque & parentes
 „ testatus est,,

A 3.

Hic

Hic uero in tranquillo fluctus mouet VOSSIUS, cuius haec est censura: „Legendum potius uideretur: *Qui, ne in id quod Homerus, incideret.* Nam *uiduit* omnino abundat, cum sequatur, *testatus est*„ Haec VOSS. quae pace uiri retractabimus. Non est obscurum, quo illa PATERC. pertineant. Manifestum namque est, respicere historicum illam de Homeri patria litem, septem maxime urbibus illum poetam sibi uindicantibus. Id quod non erat euenturum, si patriam commemorasset Homerus. Id ne accideret, cauit Hesiodus. Cui quae sit patria, ex ipsius ore constat; quod peruulgatum est. Itaque *uiduit* sane Hesiodus, ne in id, quod Homerus, incideret, i. e. ne de sua etiam patria ambigendum foret posteritati. Equidem igitur non uideo, quid causae sit, cur *uiduit* elidendum censeat VOSS. Certe nec reliquorum, qui emendando huic auctori adhibuerunt manus, quisquam, quod ego sciam, de Vossiana cogitauit mutatione. Neque profecto id, quod allegatur, de uerbo *testatus est*, rem pro VOSS. conficit. Quidni enim *duo praeterita* eadem periodo contineantur? Et annon satis est manifestum? alterum, *testatus est*, part. *Que* copulari cum reliqua oratione.

CAP. XIII. de L. Mummio & Scipione Africano haec PATERC.

„Diuerſi imperatoribus mores, diuerſa fuere studia.

„Quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinae & auctor & admirator „

Ad haec VOSS. „Fuit, cum mihi reponendum uideretur *altor*.
 “Nunc uulgatam Velleii lectionem tolerandam cenſeo „ Sane ita legit HENRICVS STEPHANVS in *collectione ſcriptorum hiſtor. Roman.* BOECLER. *Argentorat.* 1642. Item Francof. 1607. & altera ibid. uulgata 1589. MANVT. nihil cenſet mutandum. GRVTER. ita: „Non eſt profecto nimia
 „laus Scipionis, fuiſſe doctrinae omnis auctorem. Nam eidem
 „fauere, uel barbarorum fuerit „ Solus, niſi fallor, LIPSIVS, qui ſolus ſibi ſapere aliquando uideretur, falcem ſuam immittit: cuius haec accipe: „ Nimia pro Scipione laus, fuiſſe doctrinae om-

„ niſ

„ nis auctorem. Scribe: *Fautor*: & id principi ac militari uiro
 „ conuenit „ Vsque adeone dulce est, deformare auctoris ora-
 tionem. Seduxit uirum cetera optime de antiquitate meritum si-
 gnificatus uoc. *Auctor*. Nos itaque, quibus reuocandum uide-
 tur relegatum uerbum, ferri posse illud uoc. & ex LIPS. mente
 intelligi, ostendemus. *Auctor* itaque (ne quid repetamus de
 reliquo uoc. significatu) uocatur, qui *peritus est alicuius rei s. mul-
 tum & cum laude in ea uersatus*. Ita sane VELL. PAT. L. I. c. XI.
 „ Magnum Alex. impetrasse a Lyfippo, singulari talium (sc. sta-
 „ tuarum, de quibus ante illa uerba) *auctore* operum &c. „ Hic
 quo minus credas, Lyfippum uocari a VELL. statuariae artis *in-
 uentorem* (id quod nonnunquam postulat uoc. *auctor*,) interue-
 nit PLIN. qui H. N. L. VII. c. XXXVII. & I. XXXIII. c. VII.
 & VIII. Polycletem centum annos ante Lyfippum celeberrimum
 ex illa arte fuisse tradit. Lyfippus itaque ex VELL. mente est
 singularis *statuariae rei artifex*, s. *egregius statuarius*: quem ex-
 pressisse Alex. M. effigiem, ab eius pueritia orsum, idem PLIN.
 memorat l. c. c. VIII. Non fallor, si hanc eandem esse uoc. sen-
 tentiam pronuntiauero apud HORAT. I. I. *od* XXVIII.

Iudice te, non fordidus *auctor*

Naturae uerique.

Si ACRONI & PORPHYR. credimus, illa uerba ad Pythagoram
 pertinent. Is igitur *naturae auctor* uocatur, non sane ex eo,
 quod naturae fuerit *inuentor*; quod nemo existimauerit sanus:
 sed quod *optime calluerit naturae arcanae uires*. VELLEII uer-
 bis dices: *Singularis auctor naturae*. Nunc uideamus, annon
 in hanc sententiam *auctor omnis disc.* uocari mereatur Scipio. Mi-
 reris haud immerito, non uidisse eruditos uiros, LIPSIVMque
 adeo, quod VELL. l. c. post illa uexata uerba de Scipione refert:
 „ Semper inter arma ac *studia* uersatus, aut tempus periculis,
 „ aut *animum disciplinis* exercuit „ Nonne igitur in omni disci-
 plina uersatus fuit Scipio? Quid CICERO? Is l. I. *Tuscul. qu.*
 „ Galbam, inquit, *Africanum*, Laelium, *doctos fuisse*, memo-
 „ riae

„ riae proditum est „ Et l. c. l. II. Scipionem, refert, in manibus semper habuisse Socraticum Xenophontem. Et l. ad. Q. frat. ep. I. „ Africanus libros Xenophontis de Cyro ponere de „ manibus non solebat „ Itaque non est a ueritate alienum, Scipionem uocasse *auctorem omn. disc.* quasi *eruditum* ipsum atque doctum. Addamus alteram, quae non minus VELL. dicto apta est, uoc. *auctor* significationem. Nimirum is quoque appellatur *auctor*, qui aliquid inuentum & prolatum *confirmat, tuetur, in melius producit.* Ita *auctores* legum, quod PAREVS acute uidit, olim uocabantur, non *latores* solum, sed ii quoque, qui *confirmarent* latas & tuerentur. Quid igitur obstat? quo minus Scipio a VELL. appellatus credatur *auctor om. disc.*, non, quasi *inuenerit* ille *omnes disciplinas*, quod nemo ne somnariet quidem: sed quod *fautor* fuerit (quod LIPS. uult) & *amplificator* omnis disciplinae, adeoque & eorum, qui eruditi omni humanitate erant, s. *doctorum*. Afferamus exempla huius usus ex probatis scriptoribus. Notum est uel tironibus, quid sit, *augere aliquem aliqua re.* TACIT. *annal.* l. III. c. VIII. „ Tiberius - exceptum comiter iuuenem sueta erga filios familiarum nobiles liberalitate auget „ *Augere aliquem honore, est, afficere honoribus.* Inde *passiue, auctus aliqua re* dicitur, *praeditus aliqua re* s. *habens, possidens* aliquid. *Aucta liberis* est, quae *liberos habet*, apud PLAVT. *Truc.* A. II. S. VI. ubi ad Phronet. Stratophanes:

Cum tu recte prouenisti, cumque es *aucta* liberis.

Hinc *auctus*, substantiue, pro *ipsa re*, cui adiungitur, accipiendum uidetur apud LVCRET. L. VI. 166. 167.

Caedere si quem

Ancipiti uideas ferro procul arboris *auctum*,

i. e. *arborem.* Adiectiuum *auctus* idem, ut illi, quos excitauimus, posuit L. II. 631.

Sic

Sic animas introduxerunt sensibus *auctas*.

Item u. 625. CIC. I. *de leg.* „ Genus humanum sparsum in ter-
 „ ras atque factum, diuino *auctum* est animorum munere „ Sed
 haec quidem nemo contradixerit. Erit igitur Scipio non tantum
 ipse *eruditus*, ex VELL. sententia, sed (quod usu uenire in uiris
 principibus litteras edoctis uideas) *fautor* etiam & *amplificator*,
 & (ut aliquid etiam VOSSIO, salua ueritate, gratificemur)
altor omnis disciplinae & doctorum. Id quamuis credere nemo
 dubitet, cum nemo facile miretur, si quis eruditus ipse fauerit
 eruditis uiris: audiamus tamen eius rei testes idoneos. *Fautorem*
 itaque *omn. disc.* fuisse Scipionem, facile docuerit CIC. *pro*
Arch. „ Carus fuit Africano superiori noster Ennius, itaque etiam
 „ in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore „
 Quod ipsum narrat PLIN. H. N. L. VII. c. XXX. ex quo hausit
 SOLIN. idem memorans *polyb.* c. VII. Eodem referas uulgatum
 OUIDII uersum:

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus

Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Quid autem? Nonne hoc ipsum dicit PATERC. post illa uexata
 uerba? „ Vt, inquit, Polybium, Panaetiumque, praecellentes
 „ ingenio uiros, domi militiaeque secum habuerit „ Profecto
 hoc si animaduertissent docti uiri, & LIPSIVS maxime, neque
 hic aliquid mutandum in illis uerbis, neque illi incerta coniectura
 existimassent tuendum locum. Vtrumque itaque, si quid intelligo,
 dixit VELL. scil. & *ipsum fuisse eruditum*, & *fautorem disciplina-*
rum, Scipionem. Denique a nostra sententia non abest MA-
 NVT. qui ad h. l. ita: „ Est *auctor*, quasi *causa*, quia primus
 „ ipse & pauci praeterea doctrinas in urbem Romam induxe-
 „ runt „ Hinc igitur, *fautorem* disciplinarum fuisse Scipionem,
 intelligas licet. Quam sententiam, maxime aliis testibus acco-
 dentibus, cum admittat uoc. *Auctor*, non opus est, cum LIPS.
 illud in *fautor* transmutare. Nos enim illud ipsum, quod

B

LIPS.

LIPS. uult, effecimus. Ceterum ex his non esse potest obscurum, recte eos facere, qui *Auctorem* ab *Augere* deducunt. Cum omnes, quos *Auctor* sustinet, significatus, ferat uerbum *Augere*. Quod nos etiam partim demonstrauius. Nugatus itaque VALLA, qui *eleg.* l. IIII c. XXXII. postquam de *actore & autore* multa attulisset, haec postremo edicit: „Denique *Autor* nihil habere commune cum *Augeo*, neque cum *ἀυξάνω*, *Auctio* probat, quae uenditio quaedam est in publico ac celebri loco. „ Haecine ille Lat. linguae arbiter? quo apud inferos praesente non audere fertur Pluto uerba latina loqui. Quidni ab *augeo* diceretur *auctio*? Nonne pretium *augetur*? altero alterum urgente. Quanto rectiora docet PARRHASIUS in *Claud.* qui nostra illa, quae supra dedimus, LIVII, VIRGILII, STATIIque exemplis probat. Is etiam CHARISII affert decretum, quo *auctor*, tanquam *uerbale*, ab *augeo*, per c scribendum edicitur. Sed longius sumus euagati. Nunc contrahamus gradus.

CAP. XV. haec sunt VELL.

„ Carthagoque in Africa prima, *ut praediximus*, extra
 „ Italiam colonia condita est. „

Transferunt, quod mireris, hunc locum RHENAN, BVRE-
 RIVS, MANVT. VRSIN. LIPS. SCHEGK. ACIDAL.
 GRVT. BOECL. STEPH. Itaque uulgatam lectionem referunt omnia, quae ego inspicere potui, exemplaria. VOSSIUS, nec sine ratione, in his haeret. Quid enim, quaeso, uerba? *ut praediximus*. Nihil antea huius rei dixerat PATERC. Deinde, totidem pene uerbis haec dicuntur l. II. c. XV. Itaque laborat sane locus. VOSS. ut est paulo prior ad recidendum ense, quod immedicabile uidetur, uulnus, exturbanda censet illa: *ut praediximus*. L. autem II. l. c. ubi eadem legi diximus;
 „ Parum abest, inquit, quin totum hoc exturbandum dicam:
 „ totidem enim uerbis lib. priori legitur. „ Equidem igitur, tutiorem & quod sciam, ab aliis non calcatam, experiar uiam.
Transponamus igitur illa uerba, &, quae l. I. sunt, l. II. reddamus

mus, contra l. II. reponamus l. I. Sic omnia facile procedent. Nec repugnabit orationis contextus: id quod, facto experimento, apparebit. Ita nimirum ratio sua constabit illis: *ut praediximus*. Non est autem, quod quis pro excusando priori loco, afferat: fieri posse, ut ea, quae de Carthagine *a se praedicta* fert VELL. capitis, quod abscissum lugemus, particula fuerint, quae cum libri I. initio perierit. Ne quid enim illud urgeam: non posse istud probari idonea aliqua ratione: ipsam illam, quam tenuit L. I. VELL. orationem reclamare aio. Quis enim est? qui non uideat, antiquissimorum & Romanas res aetate longe superantium temporum ab historico repeti historiam l. I. initio. Atqui, quae Carthaginem deducta est, colonia res est recentioris aevi. Id enim factum constat, florentibus iam Romanorum rebus: quae sine confusione turpissima non poterant inseri prisci aevi memorabilibus gestis. Iudicent eruditi, utra potior sit sanandi huius loci ratio, VOSSII, an nostra.

CAP. XI.

„ Metelli triumphus fuit clarissimus, & meritum, uirtutisque cognomen Numidici inditum. „

In hoc loco scrupulum, praeter VOSS. GRVT. & LIPS. nemo offendit. LIPS. ita „ Maelim: & meritum uirtutibus cognomen, GRVT. „ Maluissimam reiecta uoce postrema, & meritum uirtute „ cognomen Numidici, ut subintelligatur, clarissimum fuit. „ VOSS. „ Puto legendum: uirtuti quoque, non, uirtutisque. „ Miror, quid tantopere displiceat eruditis in illa locutione. Mihi sana uidetur uulgata lectio. Ita namque illa accipies: *Metelli triumph. clariss. fuit, & meritum* (sc. fuit clarissimum,) *uirtutisque cognomen &c.* An insolens est? duobus nominibus commune idemque interponi adiectiuum; uelut hoc loco *clarissimus*, quod & ad triumphum & ad meritum refertur.

CAP. XVII. Sub initium haec leguntur:

„ Finito ex max. p. nisi quae Nolani belli manebant reli-
„ quiae. „

B 2

Non

Non uidi, qui ex reliquis commentatoribus hac *φράση* fuisset offensus, praeter VOSS. & LIPS. Hic quidem legi uult: *Nisi quod*: Ille, *Nisi qua*: *Qua*, pro *quatenus* posito. Sed, quaeso, quid iure displiceat in hoc loco? An insolens est? *τὸ Nisi* pro *Praeterquam* dici. Nolo sane in re tam manifesta testibus uti. Ne tamen nostrae defimus causae, proferam commodissimum & Velleiano plane similem locum ex PLAVTI *captiu.* A. III. S. III.

Aulas calicesque omnes confregit, *nisi quae* modiales erant.

i. e. *praeterquam* eas, quae &c. Ad huius dicti exemplum recte ita interpreteris VELL. uerba: Finitum erat Ital. bell. maxima ex parte, praeterquam reliquias Nolani belli, quae manebant. Sed alia quoque seruandi *τὸ Nisi* iniri potest ratio. Constat nimirum, *Nisi* aliquando pro *Sed* accipiendum esse. Ita sane TARENT. *Phorm.* A. III. S. I.

Nisi Phaedria haud cessauit pro te eniti.

Ita certe exponendum censent interpretes. Idem significatus illius partic. erit, si commentatoribus credas, in *Hecyra* A. I. S. II.

Quid egerint inter se, nondum etiam scio:

Nisi sane curae est, quorsum euenturum hoc fiet.

Reliqua CIC. CAT. aliorumque exempla, ut in re non admodum dubia, lubens omitto. Hac igitur data significatione, facilis, me etiam non praeeunte, erit exeundi uia.

CAP. XXII. ita VELL.

„ Neque licentia *immediocri* saeuitum, sed *excellissimi* quique
„ *eminentissimae ciuitatis uiri* uariis &c.

Omnia miscere hic uideas VOSS. qui ita decernit: „ Totus locus
„ ita refingendus uidetur: *Neque licentia in mediocres saeuitum,*
„ *sed excellissimi quique, atque eminentissimae dignitatis uiri* &c. „
Ipse fassus erat criticus, in MSCT. lectum fuisse: *eminentissimae ciuitatis uiri.* Qua igitur auctoritate tam insignem ausus sit mutationem, equidem nescio. Certe ratio ab eo nulla allegatur. Vulgatam

gatam lectionem, quas saepe iam excitavi, omnes habent editiones. MANVT. paulo moderatius ita legit, retento uoc. *ciuitatis*: *Excellentissimi quique atque eminentissimi ciuitatis uiri*. Mihi, ne prolixior sim, tuenda uidetur uulgaris lectio, quae & elegans satis est, & illas coniecturas multum praestat. De uoc. *Immediocri* non est, quod multum simus solliciti. Aut enim pro *simplici* accipies *compositum*, *immediocri* pro *mediocri* legendo; quod GRVT. placeat, & auctoritate latina non destituitur: (ita enim l. II. c. XXXVII. *infractum* pro *fracto* dixit VELL.) aut leuissima mutatione, quae mihi iam ante hos aliquot annos placuit, post ACID. etiam probata deprehensa fuit, pro *immediocri* leges, diuiso uocabulo, *in mediocris*, accusatiuo antiquo, pro, *mediocres*. Quid enim facilius? quam coaluisse utrumque uoc. *in* & *mediocris*, litteram S. autem, quae uerbum *saeuitum* inchoat, omissam esse librariorum incuria. Deinde nihil inelegans est in VELL. oratione: *in excelsissimos eminentissimae ciuitatis uiros* esse saeuitum. Quid enim est, quod inuenustum uideri possit *eminentissimae*. Annon recte Romana ciuitas uocatur *eminentissima*? quae CICERONI appellatur *arx omnium terrarum, domus uirtutis, & dignitatis, lux orbis terrarum & arx omnium gentium, qua nihil est in terris melius*. Dubitabimusne adhuc? Romam esse ciuitatem *eminentissimam*. Siue enim *urbem* significet uoc. *ciuitatis*, siue *imperium*, summo iure Romae tribuetur *eminentissimae* ciuitatis honor. Et ipse CIC. *de pet. conf.* „Roma, inquit, ciuitas ex nationum conuentu constituta.„ Adde, si dubitas, elogium, quo Romam ornat Tiberius, TAC. *an. XXXXVII.* „Omnia urbe, unde in omnia regimen.„ Ipse VELL. l. II. c. XXVIII. *ciuitatem dominam gentium* appellans Romam, nonne *eminentissimam* uult haberi? Itaque non erit, quod notes uoc. *eminentissimae* ad *ciuitatem* relatum. Cui argumento si addas MSCTI, quo VOSS. se usum fatetur, auctoritatem, magis etiam uulgari scripturae assentiendum putabis. Denique *ταυτολόγος* foret elegantissimus scriptor, si ex VOSS. sententia refingendum, uel deformandum

mandum potius, statuas locum. Quis enim est? cui non appareat, *eminentissimos viros & excelsissimos* non multum differre, & sufficere potuisse alterutrum nomen. Augetur autem profecto sceleris magnitudo, quod dicitur, *summos viros ex summa ciuitate* sublatos esse, ea nimirum ex ciuitate, quam *regum patriam* appellat Pyrrhi legatus, Cineas, *quod tales illic fere omnes essent, qualis unus Pyrrhus apud Epirum & reliquam Graeciam putaretur.* EV-TROP. l. II. c. VII. *Atrocius* itaque facinus sine dubio fuit, tantos tantae ciuitatis extinxisse viros. Id autem VELL. dixisse credo. De uoc. *ciuitatis*, pro quo VOSS. legi uult *dignitatis*, nihil addo, adeo audax illa & in deterius facta est uocabulorum permutatio.

CAP. XXIII.

„ Si quis hoc rebellandi tempus - *nimirum ueri uerustatis* -
 „ que ignarus est „

VOSS. „ Lege *nimum* „ Nulla, pro more, allegatur mutationis causa: neque quicquam a uulgari lectione recedunt, quae ego conferre potui, exemplaria. Recte sane. Quis enim nescit? *nimirum* saepius referre parat. *Sane.* Confirmemus paucis testibus, sed idoneis, nostram sententiam. CIC. l. I. *de inu.* „ Nam „ genus est omnium *nimirum* libidinum cupiditas „ L. XIII. *ep. X. ad Att.* „ Et *nimirum* id fuit: soluendo non erat. „ Sed quid plura? Ipsa origo uoc. docere poterat, esse *affirmatiuum* illud, de quo quaerimus, uocabulum, & simile omnino Graeco *δυναμις*, omnium confessu *affirmatiuo*. Hoc autem dato, nihil mutandum esse in VELL. uerbis, omnes uident.

CAP. XXXII.

„ Sunt, qui *hunc* carpant „

VOSS. cum LIPS. legi uult: Sunt, qui *hoc* carpant. Cur id fieri debeat, non perspicio. Vidit hoc ACIDAL. qui „ Mo-
 „ menti fere nullius est „ inquit „ quod dicam: dicam tamen,
 „ *hoc* legi sincerius „ Atqui non legi sincerius, adeoque super-
 uacuum

uacuam esse illam *μεταμειψωσιν*, inde aliquis facile intelligat, quod illud *hunc*, id, quod actum a Pompeio fuerat, comprehendit, nimirum id, quod uolunt ueritatis illi arbitri, *hoc*.

C. XXXV.

„ At Catilina non segnius *nota* obiit, quam sceleris conandi consilia inierat „

Praeteruectus est hunc scopulum VOSS. cum RHEN. MAN. VRS. ipsoque, quod magis etiam mireris, LIPS. & reliquis. Haeserunt tamen (neque integrum fuit, praeternavigare) SCHEGK, qui legi mauult *uoto* pro *nota*, & alii, nunc nominandi. Postulat sane hic locus Oedipum aliquem: Sed forsan & Dauus aenigma explicuerit. ALDVS habet, *mortem*: quod ipsum ante hos aliquot annos pro ingenio suo, secundo sane, excogitauerat amicorum meorum unus, cui meas iam tum probatas esse de VOSS. audacia opiniones, gaudeo. Probabilis sane haec foret lectio, si MSC. alicuius fulciretur auctoritate. Atqui uetustum exemplar repraesentare uulgatum uoc. *nota*, olim monuit BYRER, ipse tamen, quid sibi placeret, non indicans. Hanc igitur antiquam lectionem, si fieri possit, tueamur, missa SCHEGK. coniectura de *uoto*; quae ad soluendum Gordium istunc nodum parum facere uideatur. Tentemus duplicem uiam. Itaque *nota* aut referendum erit ad uoc. *consilia*, quod continuo additur a VELL. aut omissum putabimus uoc. *negotia*. Prius si malis, ita expones illam orationem: Catilinam sceleris conandi *nota* consilia non segnius obiisse, i. e. executum esse, quam iniisset. Ita scil. opponendum foret *τὸ obire & inire*, i. e. *exequi & capere consilium*. Posterius si praeferas, haec exhibit sententia: Catilinam eadem alacritate *nota* (i. e. omnibus consentientibus & approbantibus, adeoque *conscis suscepta*) *negotia* obiisse, (minime desistentem a proposito semel coepto, sed ad finem constanter properantem,) qua iniisset (i. e. cepisset) sceleris conandi consilia. *Obire* autem *negotium* recte & pure dici, pro *pergere in negotio*, *administrare*, & *exequi inceptum negotium*, nemini dubium esse crediderim

rim. Haec mihi quidem pro seruanda antiqua lectione succurrebant. Sed rectiora tamen non respuam ad me allata.

C. XXXVII. de Mithridate:

„ Regem eius temporis, nisi *quia* Luculli armis erat
„ infractus, potentissimum „

Ita legunt & reliqua, quae contulimus, exemplaria. VOSS. mauult *qua* cum GRVT. Praeter rationem, ut puto. Digermus VELL. orationem: *Regem potentissimum: nisi* forte non uideri possit potentissimus, *quia* Luculli armis &c. Vel illud ipsum, *Nisi quia*, pro, *Nisi quod*, manifesta loci sententia, accipiemus. *Quia* scil. pro *Quod* admodum est frequens auctoribus. Inde profecta locutio: *Nisi quia*, pro, *Nisi quod*. Sufficiat unus PLAVT. *Cistell.* A. II. S. I.

Neque, *nisi quia* miser non eo pessum, mihi
ulla abest

Perdito pernicies.

Illud etiam medelae loco adhibeas, quod constat, *Quia* pro *Qua* s. *Quatenus* usurpari ueteribus. Nisi labor iudicio, ita accipienda sunt CIC. uerba l. V. *Tusc. qu.* „ Voluptatem ipsam „ per se, *quia* uoluptas sit, semper optandam esse „ Et L. I. *de fin.* „ Nemo dolorem ipsum, *quia* dolor sit, amat „ Barbari dicere solent: *Dolorem, qua dolorem, Voluptatem, qua uoluptatem.* Et quid? Si separares, nulla facta mutatione, uocabula, & ita scriberes: *Qui a &c.*

C. XXXXVI.

Pro: „ *circumfusis* immanibus copiis equitum „
uult VOSS., nescio sane, qua ratione motus, *circumfusum*. Ferri hoc quidem posset: Sed quidni potius teneatur uetus scriptura? quae nihil habet inconcinni.

C. XXXXVII.

„ Quo tempore P. Clodius a Milone, candidato consula-
„ tus, exemplo *inutili*, facto salutari reip. - iugulatus est „
Non

Non uidi ex commentatoribus, cui in his quicquam displicuisset uerbis. VOSS. MSC. moueri uidetur, in quo haec appareat scriptura: *Exemplo inutiliter facto*. Hac auctoritate fultus ita legit: *Exemplo inutili, interim salutari reip.* Sed sana est uulgi lectio, quod omnes uideant accuratiores lectores. Si quid tamen propter illam syllabam *ter*, quae in MSC. uoc. *inutili* adhaeret, sit mutandum, uiderint eruditi, annon sit tolerabilior, utpote facilius, mutatio nostra, quae pro *ter* ponit *sed*, h. m: *Exemplo inutili, sed facto* &c.

CAP. LVIII.

„ De cuius origine *etiãmsi praeuentis* & pauca dicenda
„ sunt „

RHEN. *Etiãmsi praeuenit*, legit. MANVT. *Etiãmsi praeuentis tamen pauca dicenda* &c. VRSIN. audacius: *De cuius origine etiãmsi perueueri* & pauca &c. ACIDAL. licentius: *Etiãmsi properanti heic pauca dicendo* &c. Confer haec, lector, & mirare mecum, quo ruat mutandi male sana cupido. Mihi nihil in hac oratione uidetur adeo inelegans, ut tantis turbis opus esse putem. Licet magnifice de sua sententia, iam RHEN. ut ostendimus probata, loquatur VOSS. qui „ Omnes uiri eruditi, inquit, hic „ operam lufere. Scribendum est: *Etiãmsi praeuenit, & pauca* &c. „ Exponamus igitur inter criticorum manus misere iactatam orationem. Dicendum sibi historicus de C. Oët. origine putat. Hunc laborem praereptum sibi fatetur: siue, ut eius teneamus uerba, *praeuentum se*, non inficiatur. Putat VOSS. legendum: *Etiãmsi praeuenit* sc. Augustus, qui ipse suam conscripsit uitam. Quod si in MSC. est, ut refert VOSS. nos nihil contra. Sin autem defendendae uulgate orationis sit fuscipiendum negotium, sana erit communis scriptura. Ita namque procedet loci sententia: (*Nobis,*) *Etiãmsi* (s. etfi) *praeuentis* (s. hoc ad Augustum, s. alios pertineat) & (i. e. *etiãmsi*, uel) *pauca sunt* &c. Siue ita exponere malis: *Nobis etiãmsi praeuentis dicendum de* &c.

¶ *pauca sunt dicenda.* Non enim *dicendum tantum* esse ait, sed
 ¶ *paucis comprehendendam* historiam.

CAP. LXXVI. „ Parum habebat, *summam* accepisse „
 Superflua est & VOSS. & aliorum censura, uel *summa* pro *sum-*
mam, l. *summum* legentium. Quidni enim staret uulgatum *summam*?
 Annon *summam* dicitur? pro, *summam potestatem*. Quam obti-
 gisse Saluidieno, constat ex ipso historico.

CAP. LXXXIII.

„ Nauium haec *magnitudo, modicane celeritate; aduersa*
 „ illa specie *terribilior* „

Mendosum esse locum, omnes consentiunt. Neque dici satis po-
 test, quam omnibus ingenii neruis in eo restituendo contende-
 rint eruditi. Sed mira est, ut solet, opinionum uarietas. BOECL.
 liberius: „ Nauium *hinc* magnitudo modica, *cum* celeritate „
 STEPH. „ Nau. *hinc* magn. modica, *sed* *celerior*, *ex aduerso*
 „ illa &c „ Satis quidem pro audacia. Non multum adiumenti
 ti affert RHEN. „ Forte: Specie *erat* *terribilior* „ BVR. *Spe-*
cies pro Specie, non magno, ut apparet, subsidio in tanta con-
 trouersia. VRS. „ Nau. *hinc* magn. modica, *sed* *celeritate*, ad-
 „ uersa &c „ Minus, ut puto conuenienter Velleianae elegan-
 tia. Quid nos igitur? Olim quidem putaram, me aliquid ad sol-
 uendum illum nodum excogitasse: nunc plane mea omnia mihi
 sordent prae illa elegantissima ratione, quam mecum ante paucos
 annos per litteras communicauit uir quidam felicioris ingenii, mi-
 hi amicus. Hanc ego, utpote, me quidem iudice, elegantissi-
 mam, & quod affirmare ausim, uerissimam, quam meam conie-
 cturam, proferre malo. Ita autem ille: „ Nauium haec ma-
 „ gnitudo modica, *nec* celeritati aduersa: illa &c „ Non dissi-
 mulo laetitiam, quam & olim cepi ex hac coniectura, & nunc
 percipio, adeo illa est & historiae, & criticae regulis & orationi
 accommodata. Quid enim facilius accidere potuit, in librario-
 rum oscitantia? quam ut omitteretur littera (c) quae uoc. *nec*
 finit.

finit. Quid multis? omnibus illa placere non spero tantum, sed etiam confido.

CAP. LXXXVIII.

„ Caesar reuerfus in Italiam, *atque urbem occurfus*, quo
„ fauore „

LIPS. pro imperio: „ Alterutrum scribe: siue: *Caesaris autem*
„ *reuerfi* in Italiam a. u. *occurfus*: siue: Caesar autem reuerf. i.
„ I. a. urbem, *quo occurfu* &c „ Quis autem hanc aequo ani-
mo ferat licentiam? Secutus tamen posteriorem rationem est
BOECL. Alii legunt *adque* pro *atque*. GRVT. eiici uult uoc.
occurfus; quod STEPH. retinet. VOSS. legit: *Adque urbem*
occurfus, pro, *occurrans*. Nos leuissima uis mutatione, rem ex-
pediemus. Maneat illud *atque*: pro *occurfus* lege *accursans*. Fa-
cillimo enim descriptorum lapsu pro, *accursans*, lineola superim-
posita, litt. (N) nota, lectum fuit, *accursus*. A autem cum Q
permutatum, nemo mirabitur, qui summam utriusque confide-
rauerit similitudinem. Itaque sic leges, prono dicti sensu: „ *Ca-*
„ *esar reuerfus in It. atque accursans urbem* „ i. e. *propere ad ur-*
bem ueniens. *Accursare* autem regere posse IIII. nominis adiecti
casum, non puto longa egere demonstratione. CIC. enim pro-
miscue dicit: *Accurisse Romam dicitur*, offic. L. III. &: *Nos ac-*
curemus ad te, l. VIII. ep. IIII. Possis tamen, salua eadem sen-
tentia, legere: *occurrans*. PLAVT. *Truc. A. II. S. II.*

Quid tu *huc occurfas*?

CIC. ep. ad Brut. VI. „ Scripsi ad eum, ut mihi *Heracleam oc-*
„ *curreret* „ Id. Att. l. VIII. ep. VIII. „ *occurrans ad Lentu-*
„ *lum* „ addita praepos. alibi omissa.

Haec quidem speciminis uicem dicta uolo. Plura quidem,
quae de hoc scriptore monita uelim, conscripta domi feruo, per-
petuo tegenda, si eruditus minus probata fuerit haecce opella.

LIB. I. CAP. IIII.

Vindicatio aliquot locorum ex RVTILII itin. Defenditur a
quorundam temeraria censura uulgata & antiquior lectio.

In otio nostro, quod Erlangae uulgari coeptum discessus noster turbauit, ex CL. RVTIL. *itin.* l. I. u. 230. contra ALMELOV. fumus tuiti. Quem laborem cum probari uiderem eruditus, rediit uindicandorum & reliquorum aliquot uersuum dulcis mihi quidem & optabilis cura. Fauete linguis!

L. I. u. LV.

Nam solis radiis aequalia *munera* tendis.

Offendit BARTH. uoc. *Munera* qui *adu.* l. XXII. c. XVII. p. 1106. post recitatum uersum „Vt cunque, inquit, haec lectio „ ualeat defendi. At Rutilius uidetur scripsisse:

Solis radiis aequalia *moenia* tendis „

Verum enim non est, quod respuas hanc formulam. Sententia est: *Tendis* tua munera, i. e. *amplificas, continuas, propagare studes, s. propagas*, ad omnia ea loca, quae sol aspicit. *Contentionem* fingit ingeniosus poëta & *aemulationem* aliquam inter Romanum imperium & solis dominatum. Eo scil. *elaborasse & enixam* fuisse (quae est sane notio *vs tendere*) Romam, ut eius *magnitudo s. praerogatiuae* (hae mihi ueniunt *munerum* nomine) omnibus locis, quae sol illuminat, innotescerent. Loquendi rationem, nisi fallor, petiit poëta a *diuersae staturae* hominibus, quorum alter magnitudine emineat, alter paulo sit inferior illo, *aemuletur* tamen, & *ad eandem altitudinem sese attollere annitatur*. Quis dubitet dicere, alterum *tendere aequale alteri corpus*, si maxime erecto uel corpore uel capite, id, quod optet, efficere possit. Quod obtigisse Romanis, RVT. adulatur. Qui ingenio non est destitutus, nullo negotio sibi finget *contententium* habitum. Certe eam, quam exposuimus, uoc. *tendere* significationem anfas praebuisse *vs contendere*, omnes facile perspiciant. Nihil igitur opus erat GRAEV. coniectura, *fundis* pro *tendis* apponentis. Ipse tamen parum illi fidit opinioni. In eo etiam fallitur, quod *tendere* pro *extendere* positum existimat, adeoque non fauet uulgari lectioni, utpote, uti quidem putat, non satis tolerandae

randae latinae auri. A vulgari non diffentit Amstel. 1687. nitio-
tissima & accurata editio. Neque aliam ostendit lectionem Ant-
verp. 1572.

V. LXX.

Conuenit in mores *nomen* utrumque tuos.
Probat GRAEV. cui fordent uulgaria, BARTH. rationem *numen*
pro *nomen* legentis. Sed quamuis haec ferri possint, nos, pro-
positi memores tuebimur uulgatum. *Nomen utrumque* quo re-
ferendum sit, quidue ualeat, discemus ex u. LXVI. sqq.

Auctorem generis Venerem Martemque fatemur,

Aeneadam matrem, Romulidumque patrem.

Mitigat armatas uictrix clementia uires:

conuenit &c.

Martis & Veneris prolem esse Romanos, eo indicio, RVT. ait,
intelligi posse, quod tam sint clementes, quam fortes bellatores:
siue, quod VIRG. uerbis proferemus, quod sciant

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Armatas uires, inquit poëta, *mitigari* f. temperari a *clementia ui-*
ctrici. Nunc, quae sit RVT. mens, haud difficulter licet cogno-
scas. *Utrumque nomen*, nim. *Veneris & Martis*, in mores f.
consuetudinem, das *Bezeigen, Aufführung*, Romanorum *con-*
uenire dicit, i. e. ita tractari a Romanis terrarum orbis gentes, ut
ex *fortitudine summa* pater Mars, ex *clementia & mansuetudine*,
Venus mater, claro indicio prodantur. *Nomen* igitur utriusque
Dei conuenit in Romanos, ut qui dignos se tantis gentis auctori-
bus praestent. Addantur, qui consequuntur, uu. LXXI. LXXII.

Hinc tibi *certandi* bona *parcendique* uoluptas:

quos timuit, *superat*: quos superauit, *amat*:

& manifestior erit nostra ratio.

V. CCCXVI.

Tenditur in medias mons Argentarius undas:

ancipitique iugo caerulea *curua* premit.

C 3

Quae-

Quaesitum fuit de uoc. *curua*: idque cum minus arrideret criticis, in nouam mutatum formam. LEANDER scil. legit *rura*. Sed hoc mihi quidem tam uidetur improbabile, quam est audacter dictum. Quenam enim, quaeso, sunt illa *caerula rura*? Si *mare*, quod non crediderim, qua auctoritate probabitur? *caerula rura* uocari mare. Sin *continentem terram*: quidni eadem ratione dici possit? *montem premere curua caerula*, i. e. *protendi in mare*, cuius undas quasi mole sua premat. Sed uoc. *curua* scil. est incommodum huic loco. Ecquid autem facilius est perspectu? quam, eleganter *mare* s. *caerula* uocari *curua*. Nonne enim *curuo* & uario, nunc prolixiori, nunc breuiori, tractu diffunduntur montium radices? Nonne inde *curuitas aliqua* efficitur? Iam hoc dato omnes uident, *caerula*, quae allidunt *curuos* illos tractus, & ipsa reddi *curua*, & *obliquo alueo* allabi proiecto monti. Haec, nisi fallor, facilissima est euadendi uia.

Forfan non errabimus, si alia paulo ratione *caerula curua* exponamus. Quid? si *coelum* l. *nubes* accipias, easque a montis altitudine quasi *retro premi* dicas. Cerre auctoritate non careret illa scriptura. LVCRET. L. I. 1088.


Et solis flammam per *coeli caerula* pasci.

L. VI. 95.

Tonitru quatiuntur *caerula coeli* &c.

Idem *caerula magni mundi* appellat l. V. 770. Certe VARRO de L. L. L. VI. ENNII locum affert: *Quaeque caeruleo freto orta nare coepta*. Vbi consentiunt commentatores, TVRNEB. & I. SCALIG. loqui poetam de *coelo*. Sed ualeat sane prior, quam potioem iudicamus, ratio. Nihil autem agit ALMELOVEN. qui „Eleganter, inquit, ni metri obstaret ratio, legeretur, *caua*„ Id scil. demum est operam ludere.

Haec quidem haetenus.



L. I. CAP. V.

LIB. I. CAP. V.

Num recte tribuatur bestiis analogum rationis?

§. I.

DIu multumque antiquis & nostris temporibus quaesitum est de *brutorum animabus*. Non superuacua sane illa fuit disputatio, ideoque magna summorum ingeniorum contentione in utramque partem iactitata. De qua quidem re licet difficile admodum sit, aliquid, quod omnibus placere possit, statuere: non inutile tamen fuerit, quae minus accurate dicta uidebantur, proferre, aliisque, quibus altior mens est, aut confirmanda aut polienda & emendanda tradere.

§. II.

Mihi igitur, quae dubia in illa re neque satis demonstrata apparuissent, fas sit breuiter exponere. Equidem non eo sum mentis acumine, ut perspicere, quae aliorum effugissent aciem, solus possim: sed id forsitan ad hanc quaestionem commodi attulerit nostra dubitatio, ut clariori, & quae discutere imminentes nebulas possit, luce suspensa, omnibus, mihiq; adeo, qui haebetioris sum ingenii, sese aperiant, quae latere uidebantur. Itaque etiam si rectiora edere ipse non potero: monebo tamen de his tricis, me forsitan solum impediens, quibus & negotium datum est & facultas aut confirmandi uacillantes, aut errantes reducendi, aut denique erudiendi rudiores. Fungar itaque, philosophorum pace, cotis uice, quae acutum reddere ferrum possit, exors ipsa secandi.

§. III.

De *analogo rationis* dudum equidem dubitauimus, & si tribui animalibus rationis, ut creditur, expertibus satis tuto queat, nondum peruidi. Age, quid mihi obstare uisum sit, paucis ostendam.

dam. In omni, quam philosophus sumere solet, opinione illud primo loco est prospiciendum, ut expediendis, quae obiici poterant, difficultatibus illa sufficiat: Siue: ea eligenda est hypothesis, ex qua peti commode possint, quae erant demonstranda. Hoc igitur I) mihi peccare uidentur, qui *analogum rationis* sumunt, ut ex eo, quae de bestiarum actionibus quaeruntur, *omnia* apte explicentur. Nimirum occurrere uidemus in bestiarum actibus, quae ex *analogo rationis* (quod quale sit ex philosophorum decreto, nunc quidem repetere, utpote rem omnibus notam, superuacaneum existimaui) commoda ratione uix uidentur deduci posse. *Similes casus expectare* dicuntur illa, quae *ἄλογα* habemus, animalia. Faciamus igitur, catulum aliquem, qui deposita cecitate, lumen possit intueri, ad praecipitem aliquem locum humana ui adactum ab immani uoragine quam proxime abesse. Tum ui mihi correptum tolle, ostende immensum hiatus, & quasi praecipitem illum daturus, protende manum: hem, quantos tum uidebis miselli angores, quantam trepidationem, praesentissimae mortis, quam ille praefagit, imaginem: quam uehementi palpitatione cor exilire senties; quam graues cientem ulutatus audies: quam misere se inter tuas manus torquentem inque libertatem, imparibus licet conatui uiribus, summo nisu eluctantem, animaduertes. Quid uero hic decantato illi *rationis analogo*? Nos enim eum nobis dari uolumus catulum, cui *nunquam antea* sit intentata pernicies, & cui illa tum primum ostendatur uorago. Eodem igitur fato nunquam ante imminente, non potuit sane *similis* aliquis *expectari casus*. Et tamen horruit & ualde extimuit catulus, apparente, qui mortem afferre uidebatur, loco. Quis igitur, quaeso, docuit illam bestiam? pereundum esse ei, qui proiectus in profundiorum foueam fuerit. Certe id non praestitit *casus similis* si iam antehac obseruatus. Eum enim nos in praesentem rem non admittimus, cum ipse reum usus id, quod posui, confirmet, & negari non possit, ita, ut dixi, agere solere animalia uixdum edita. Huius modi sexcenta alia suppetunt: quae allegasse nihil attinet; ex quibus

quibus illud interim intelligi potest, multa fieri a bestiis, non expectantibus similes prioribus casus. Itaque non urgebo mirandam plane quarundam in captandis aliis bestiis harumque in ef-fugiendis insidiis sibi structis calliditatem. Hanc enim, nescio quo, nomine appellare solent, qui sapientiae profitentur studium. Alii uix esse putant, quod diu in eiusmodi rebus haereatur.

§. III.

Sed de ipso *rationis analogo* nunc quaedam moneamus. Illud igitur siue *imitationem rationis*, siue *similitudinem* uocare malis, nihil id quidem nunc nos detinebit. Notamus enim etymologicis implicari quaestionibus. Rem ipsam potius agamus. Primo igitur ex analogi auctoribus quaerimus: Quid ipsis sit *expectatio*? quae pars est illius analogi. Certe *distincta a rebus similibus*, quas expectare uolunt animalia *ἄλογα*, illa sit necesse est. Haec autem quomodo sit accuratius definienda, equidem doceri uelim ab istis doctoribus. Mihi quidem incommodum uidetur istuc uocabulum. Quae enim *expectantur*, aut ante nobis sunt *promissa* & *praedicta*; ueluti praemium *expectat* discipulus diligentiae suae propositum; coronam s. *ἄθλον* *expectat*, qui lucta, pugno, cursu &c. uicit, uictori ex promisso reportandam: aut *ex rerum* & *ueritatum uniuersalium nexu*, quem perspectum habuimus, aliquid futurum praeuidemus, nemine etiam admonente; ueluti grauior tempestas expectari solet urente terras intensiore solis calore; uel infelix pugnae exitus, si tironibus contra ueteranos, timidis contra fortes, exiguae manui contra ualidissimum exercitum ineundum fuerit praelium: aut denique aliquid futurum existimamus s. *expectamus* aliquid, quod *generum & specierum* notiones, idem euenturum *sub eadem specie aut genere comprehenso*, docuerint; ut si largiora munera omnibus proponantur, quibus res domi sit angusta & curta supellex, quisque eiusdem fortunae homo donarium expectet. Quodlibet feligas expectationis genus, facile tenearis. *Primum* enim in bestias conuenire, nemo facile

D

facile

facile iudicauerit. *Alterum* si malis, *nexus ueritatum uniuersalium* *notitiam* bestiis tribues; & sic *humana* efficietur *ratio*. *Tertium* si fane noluerint, qui *ad facultatis cognoscitiuae partem superiorem* referri *abstrahendi* & *facultatem* & *promittitudinem*, cogitauerit.

§. V.

At enim, occurrerit fortasse aliquis, ea etiam expectantur, quae *similia prioribus euentibus* uidentur. Ita uerbera expectat canis, eleuato eo ipso, qui ante corpus afflixerat, baculo. Hic autem neque promisso, neque ratione, neque alia animi facultate opus est, ut sibi metuat, eadem domini indignatione redeunte, canis. Itaque non tam erit a re alienum *expectationis* uocabulum. Ego uero me demonstraturum confido: non tantum sic etiam incommodum esse *expectationis* nomen (quod impugnandum §. III. sumferam,) sed ne *similes* quidem *res* obseruari a bestiis posse; nisi *rationem* iis concedere uelis. Ex eorum igitur, qui illi expectationi cass. simm. fauent, sententia agamus causam. *Ideas rerum distinctas* bestiis esse, illi negant. *Distincta*, ex illorum sententia, tum demum est *idea*, si ea, (utar enim philosophorum uerbis,) quae in *obiecto distinguimus*, & per quae ipsum ab aliis discernimus, allegari possunt; Siue: *Idea distincta est repraesentatio notarum alicuius rei characteristicarum*. *Similia* illis habentur ea, quae *easdem habent notas characteristicas*: Siue: *in quibus identitas est notarum characteristicarum*. Ex quo colligitur, mea quidem sententia: *Ad cognitionem similiarum rerum necessariam esse notarum characteristicarum repraesentationem*. Adeoque neminem, uel quae *similia* essent, uel *dissimilia*, scire posse, nisi, qui *notas characteristicas teneat*. Proinde, *ideas distinctas* habere oportere, qui *dignoscere* uelit *dissimilia*, aut cogitando comparare *similia*. Itaque, qui *casus similes* obseruent, eos *ideas rerum distinctas* habere. Sed *ideis distinctis* adeoque *intellectu* ex illorum sententia *caerent bestiae*. Igitur aut *ideae distinctae* erunt concedendae reliquis animalibus, aut ea non *expectabunt casus similes*; quos intelligi ab iis non posse, quippe

quippe ratione destitutis, manifestum est. Nisi eo confugere uelis: Illos casus uocari *similes ex nostro potius*, quam *bestiarum*, iudicio. Atqui cogitandum erat: non de eo quaeri, quod nobis uideatur: Sed *de actuum*, quos edere solent bestiae, *uera causa*. Quocumque igitur se uertant analogi defensores, teneri eos uideas.

§. VI.

Relinquitur, ut circumspectius esse debeat de bestiarum actionibus nostrum iudicium. Itaque uulgatum illud & omnium ore tritum, de cane ad eleuatum baculum trepidante, quod ex *analogo rationis* expediendum sumitur, cautius fuerat, me quidem iudice, tractandum. Cui si alia magis etiam admiranda addas, facilius nodum nectas, quam colligatum soluas. Hoc igitur considerantes aut *analogum* mittent, aut clarius demonstratum dabunt, aut *instinctum* aliquem naturalem, in quo praesidium olim quaesuerunt philosophi, aut *machinas* appellabant bestias, aut denique alia quacumque tina euadent asperiora illa, ad quae deduci possunt, loca. Fatetur impotentiam suam THEOPHR. *in ecl. περί των λεγομένων ζώων φθονείν* (quae insertae sunt ARISTOT. operibus, & subiectae *hist. anim.*) his uerbis: „ Πολλά δὲ καὶ „ ἄλλα πράττεται τοῖς ἀλόγοις, ἢ ἃ ἐκ ἔχουμεν λόγον ἀποδῆναι „ *multa alia ab animalibus ratione uacuis aguntur, quorum rationem reddere non possumus*. Ceterum ARISTOT. prope abesse uideretur a *casuum similibus* opinione. Quod enim illi *cast. simm.* expectationem, hic, nisi fallor, *ἐμπειρίαν* uocat, *των μετὰ τὰ φος*. A. postquam enim sub initium fere libri animalia uocasset alia quidem *φρόνιμοι*, alia *μαθηματικά*, paulo post subiicit: „ Τὰ μὲν ἔν ἄλλα ταῖς φαν- „ τασίας ζῆ, καὶ ταῖς μνήμας, ἐμπειρίας δὲ μετέχει μικρὸν „ Cautè sane, si hoc dicturus erat philosophus, quod nostri uocant *anah. rat.* Paululum enim participare ait illam *ἐμπειρίαν*.

§. VII.

Quod superest, iterum rogatos uolo philosophos, ut hanc mihi ueniam dent, & ambigentem de re non adeo uili patienter ferant. Daus enim ego sum, humilioris ingenii homo, cui multa obiciantur, quibus facile offendatur. Hos autem tolerandos potius, quam male accipientes, docendos prius, quam indigne ferendos, facile existimant, qui supra uulgus euecti faciliores sese exhibent incautius prolapsus.

§*§*§*§*§

THESES.

X2373824

QX Hc 1040

OS (o) SO

THESES.

1. Rectius, quam reliqui grammatici, sentit PRISCIANVS, quod lib. III. uoc. *Magis* non tantum *positiuo*, sed etiam *comparatiuo* addi, concedit.
2. *Nisi quid fallor*, qui aut non latine facis, aut certe non eleganter dici, contendunt, falluntur.
3. Terentianum illud: *Homo sum, humani nihil a me alienum puto*, misere peruertunt, qui idem ualere putant, quod uulgatum: *Errare, humanum est.*
4. *Analogia* linguae postulat, ut littera (h) plerisque uocabulis germanicis eximatur.
5. Errant, qui putant: Vocab. *Edicere* non nisi *magistratibus* conuenire: ideoque male pro Germ. *aussagen* accipi.

PRAESES
 RESPONDENTEM SVVM
 OPTIMAE SPEI IUVENEM

gaudere iubet.

Qvod eruditam, quam TIBI obtuli, pugnam non minus alacri, quam reliquas officii TVI partes, suscepisti animo, id & mihi, qui TE penitus noui, & aliis, quos iusta tenet TVAE salutis cura, nouo experimento, qualis TVA esset indoles, declarauit. Si recte habet Euripideum illud:

Ἠλωτὸς, ὅσις εἰς τὰ τέκν' ἐτύχισσε:


non possum facere, quin OPTIMO TVO PARENTI, amplissimi muneris dignitate conspicuo VIRO, ex animo gratuler filium, de quo praeclara quaeuis sperare omnes possunt. Iniquus essem in diligentiam TVAM atque industriam, si, quantam adhibueris in litteris, me dnce, gnauiter perdiscendis, publice non indicarem. Itaque & reliquos TVOS, & hunc maxime, quem, me sociam praestante operam, subiisti, conatum pro merito laudo, TEque ab ingenio non uulgari atque singulari diligentia omnibus, quibus ut proberis, TVA refert, commendo. Ceterum uitae dux TIBI adsit DEVS, omniaque TVA coepta ut feliciter & ex uoto eueniant, facit.

TV uero mei memor uiue atque uale.

OS (o) SO

SECRET

me



BR. 532, 52

B. m. II, 648

CONIECTA
NEORVM
PARTEM

IIc
1040

PRAESIDE

M. IOH. GEORGIO SA-
MVELE BERNHOLD

BIBLIOTHECA
PONTICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-
HALLE
(SAALE)
BIBLIOTHEK

GYMNASII RECTORE

IN PVBLICO ERVDITORVM
CONGRESSV

DEFENDET

EX GYMNASIO HEIL-
BRONNENSI

AD ACADEMIAM DISCESSVRVS

D. XX. MART. M DCC XXXVIII.

FRANCISCVS CHRISTOPHORVS SCHATTENMANN
LANDAVIENSIS.

Heilbronnæ ; Ex Officina Majeriana.